32

DE

MICHAELE. SCOTO

VENEFICII. INIVSTE. DAMNATO

DISSERIT

VIRO

CONSVLTISSIMO. ATQVE. AMPLISSIMO

IACOBO. HENRICO BORNIO

I. V. D

QVVM. IS

SENATOR. LIPSIENSIS

IN

SOLLEMNI. SENATVS. LECTIONE

AD. DIEM. XXXI. AVG. A. R. S. M DCC XXXIX

NASCERETVR

HANC. DIGNITATEM. GRATVLATVRVS

IOANNES. GOTTFRIED. SCHMVTZERVS

A. M

LIPSIAE

EX. OFFICINA. LANGENHEMIANA

1739

4.5413

DE

MICHAELE SCOTO

VENETICI INVSTE DAMNATO

CORNELL UNIVERSITY
The President White Library
Received 1891

CONSVLTISSIMO ATQVE AMPLISSIMO

IACOBO HENRICO BORNIO

7440.S127
8K

SENATOR LIPSIENSIS

IN

SOLEMNI SENATVS LECTIONE

AD DIEM XXXI AVG. A. R. S. MDCCXXXIX

HASCE TABVLAS

HANC DIGNITATEM GRATVLATVRVS

IOANNES GOTTFRIED SCHNVTERVS

A. M.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIANA

VIR

CONSVLTISSIME ATQVE AMPLISSIME,

Si qua occasio scribendi iustissima vmquam homini fuit, ea certe mihi contingit, qua TIBI, VIR CONSVLTISSIME ATQVE AMPLISSIME, paucis diebus post, ex quo summos in vtroque iure honores, ac merito quidem TVO, consecutus es, SENATORIAM DIGNITATEM gratulandam esse video. Siue enim insignem eruditionem TVAM, TVOS ad virtutem impetus praeclaros spectem, qui vnicuique, licet nullis TIBI nominibus

obstricto

obſtricto, ad ampliſſimum dignitatis gradum, in quo nunc locaris, TIBI *congratulandum ſatis eſſe poterant; ſiue de* TVA, *qua me hactenus non dedignatus es, amicitia, et beneuolentia in me plane ſingulari cogitem; ſiue inauditam* PARENTIS TVI ILLVSTRIS, PATRONI AC MAECENATIS MEI EXCELLENTISSIMI, *gratiam, quam et votis expertus ſum, et meritis maiorem meis, atque beneficia vere maxima conſiderem: eae mihi rationes non dicam vniuerſae, ſed ſingulae officium* TIBI *gratulandi ita iniungunt, vt eo neglecto videar non tam* TIBI, BORNI CONSVLTISSIME, *quam mihi ipſi defuturus. Quemadmodum igitur* TVA *pariter iuris peritiſſima eruditio, cui ab ipſo Iureconſultorum ordine illuſtri praeconium et re, et verbis ampliſſimum non ita pridem tributum eſt, ac prudentia in rebus omnibus ſingularis, quae* TE SENATOREM LIPSIENSEM *hodie creauit, mea exili praedicatione facile caret: ita cum* TVO, VIR CLARISSIME, *in me amori, tum meo mihi videbar officio feciſſe ſatis, laetitiam, quam ex* TVAE *dignitatis acceſſione percepi ſummam, hac qualicunque ſcriptione publice teſtatus. Cuius argumentum Michael Scotus, quem inter alios labores, diſputationi cuidam, a nobis propediem, ſi Deus voluerit, habendae dicatos, veneficii iniuſte damnatum non conſulto, ſed caſu deprehendimus, pace* TVA *ſuppeditet, atque meam in* TE *obſeruantiam, quoad eius facere poteſt,* TIBI *declaret.*

§. I.

Homine imperito nunquam quidquam esse iniustius, [a] vel ex hoc intelligitur. Saepe doctissimus quisque, media praesertim, quam adpellamus, illa aetate, haereseos, vel veneficii notam effugere vix ac ne vix quidem potuit. Multi enim, nisi quod ipsi faciunt, aut sciunt, nihil rectum putant. Hinc et MICHAEL SCOTVS, Philosophus et Mathematicus suae aetatis clarissimus, quo maiori imperitam multitudinem anteceſſit doctrina, eo maior ab illa Magus habitus est. Quam iniuriam in sequentibus paginis data opera ab ipso repellemus.

§. II.

De patria MICHAELIS eruditorum magna hactenus dissensione certatum est. Alii enim in Scotia natum, ipso eius forsitan cognomine adducti, putarunt, v. g. ALEXANDER VELLVTELLVS, [b] IO. BOCATIVS, [c] et qui hanc ornat Academiam, vir summe Reuer. atque Magnificus C. G. IOECHERVS. [d] Alii Hispanum esse voluerunt, quo sensu etiam DANTIS ALIGERII, poetae celebratissimi, haec verba:

Quell altro, che ne' fianchi è cosi poco
Michele Scotto fu, che veramente
Delle Magiche frode seppe il giuoco, [e]

quidam accipiunt. Alii denique, vt IO. LELANDVS, IO.

a) Id quod bene et sapienter ille Carthaginiensis Comicus, TERENTIVS dixit, Adelph. Act. I. Sc. II. v. 18.

b) In *Comment.* ad DANTEM *dell' Inferno*, Cant. XX. finem.

c) Vid. *ottava Giornata del Decameron, novella nona*, pag. 448. edit. Venet. A. 1594. 4.

d) In *Lexico Eruditorum*, sub nomine SCOTVS.

e) Exstant l. c. *dell' Inferno*, Cant. XX. pag. 97. edit. *della Crusca*, 1595. 8. Ad quae CHRISTOPHORI LANDINI, nec non VELLVTELLI doctissimas contulisse iuuabit animaduersiones.

BALAEVS, [f] nec non IO. PITSEVS in ſuis de *Scriptoribus Britannicis Commentariis*, natione Anglum, patria vero Dunelmenſem fuiſſe adfirmarunt: prorſus vt in tanta ſcriptorum varietate ac diſſenſione longiſſime a vero abeſſe videamur.

§. III.

Neque vero ſatis conſtat, quibus parentibus, aut quo anno in hanc lucem ſit editus. [g] Hoc certum eſt, eum ſaeculo poſt C.N. tertio decimo, non, quod plerique opinantur, demum circa annum M CC XC. ſed multo ante, temporibus quippe FRIDERICI SECVNDI, Imperatoris, claruiſſe. [h] Puer quibus ad humanitatem doctrinis informari debuit, Dunelmi eruditus eſt. Matureſcente autem cum aetate ingenio, partim Oxonii, partim Pariſiis Mathematicas, et Philoſophicas ſcientias diligenter addidicit, et Aſtrologus cumprimis peritiſſimus euaſit. Peragratis deinceps multis regionibus, et viſitatis variis Academiis, tandem Theologicis ſtudiis ſe dedidit, in quibus non poenitendos fecit progreſſus. [i] Dum vero natura duce in Mathematicam, ac Phyſicam ferebatur, in his maxime excolendis induſtrius, omne propemodum aetatis ſuae tempus degit. Linguas, vtpote Graecam, Hebraeam, Arabicam, atque Chaldaicam incredibili feruore, neque tamen in finem alium perdidiciſſe traditur, quam vt ea cognoſceret, quae

f) *Centuria* 4. pag. 351. Operis de *Scriptor. illuſtribus maioris Brytanniae*, A. 1557. Baſileae, typis exſcripti; nam in prima illius editione, A. 1549 4. Veſaliae curata, natione Scotum cum aliis fuiſſe ſtatuit.

g) Vide tamen *Lexicon Erudit.* in quo haec leguntur: *Michael Scotus, gebohren gegen* 1214. *zu Balwirie in der Grafſchafft Fiſe in Schottland.*

h) RICOBALDVS FERRARIENSIS *in Hiſtoria Imperatorum Romano-Germanicorum: per haec tempora*, inquit, *Michael Scotus agnoſcitur, Aſtrologus Imperatoris Friderici familiaris*, pag. 1170. T. I. *Corporis Hiſtorici medii aeui*, a Celeberrimo viro IO. GEORG. ECCARDO hic Lipſiae editi, A. 1723. fol. Id quod etiam ex ſequentibus facile adparebit.

i) Sane IO. BACO, ſeu BACONDORPIVS, qui non multo poſt noſtrum MICHAELEM vixit, P. III. *Sententiarum, diſtinct.* 33. agens de iuſtitia legis, eum citat tanquam auctoritatis magnae Theologum.

quae de rebus naturalibus et Mathematicis peregrino sermone scripta essent.[k] Caeterum absque negotio publicae dignitatis vitam priuatam et quietam egit.

§. IV.

Hic igitur, si Diis placet, ille est, quem in grege Magorum medii aeui, horum pleniſſimi, merito adnumeres. Is artem istam, occultam non minus, quam tetram et horribilem, plerumque noctibus vigilatam, et tenebris abstrusam, et arbitris solitariam, et carminibus murmuratam,[l] pulchre calluit, ac diabolo in vita sua quam familiariſſime vsus est. Ita quidem fertur. Memorant amici eius summi et populares LELANDVS, BALAEVS, atque PITSEVS, illum in Magiae crimen omnino veniſſe. Idem VELLVTELLVS l. c. et GABRIEL NAVDAEVS[m] adfirmant. Neque LANDINVS ad d. „l. hoc iuit inficias, qui bene insuper narrauit: „spesso con„vitava senza alcuna preparazione di vivande, e doppo in su „l' ora del mangiare, costringeva Spiriti a condurle di diversi „luoghi, e diceva, questo viene dalla cucina del Re di Francia, „e questo da quella del Re d' Inghilterra.„[n] Eiusdem rei

BOCA-

k) Haec ex LELANDO, et PITSEO citatis locis depromta sunt.

l) Qualem L. APVLEIVS in *Apologia* Magiam improbatam, seu daemoniacam describit. An existat? vide Magnifici summeque Venerabilis D. SALOMONIS DEYLINGII *Obseruat. S.* P. II. *obseruationem* 18. de *Samuele personato*, pag. inprimis 206. nec non Celeberrimi viri IO. FR. BVDDEI *Philos. Instrument.* P. VI. c. 1. et 2. p. 327. seqq. Quibuscum velim conferantur CHRIST. THOMASII *Dissert. de crimine Magiae*, quae cum appendice A. 1702. 8. edita est, eiusdemque *Disput. de origine Processus inquisitorii contra Sagas*, vt et *l' Histoire des Imaginations de Mr.* OVFLE p. 12. Plures quaestionem cum adfirmantes, tum negantes auctores citarunt MORHOFIVS in *Polyhist.* T. II. L. III. pag. 459. seqq. et illustri laude celebratus vir G. STOLLIVS *in der Anleitung zur Historie der Gelahrheit*, P. II. c. 3. §. 49. p. 533. seqq.

m) *Dans l' Apologie pour tous les grands personnages, qui ont esté faussement soupçonnez de Magie*, cap. 17. p. 495. seqq. edit. Paris. A. 1625. 8.

n) Conf. MARCEL *de la delectable folie*, cap. 8. p. 123. edit. Lugdun. Gall. A. 1650. Similem fere huic fabulam, de ALBERTO MAGNO narratam

BOCATIVS, ſaeculi XIV. percelebris ſcriptor, l. c. teſtis eſt, „vbi *Brunonem* ita loquentem introducit: „dovete dunque, „Maeſtro mio dolciato ſapere, che egli non ha ancora guari, „che in queſta Città fu un gran maeſtro in Nigromanzia, il „quale ebbe nome Michele Scotto, perciocchè di Scozia era, „e da molti gentilhuomini, de' quali pochi oggi ſon vivi, ri„cevette grandiſſimo onore, e volendoſi di qui partire, ad in„ſtanzia de' preghi loro ci laſciò due ſuoi ſofficienti diſcepoli, „a' quali impoſe, che ad ogni piacer di queſti cotali gentil„huomini, che onorato l' avevano, foſſero ſempre preſti. „Coſtoro adunque ſervivano predetti gentilhuomini di certi „loro innamoramenti, e d' altre coſette liberamente, etc. „ Huc denique poetarum, DANTIS, et MERLINI COCAII (potius THEOPHILI FOLENGII) teſtimonium pertinet, quorum vterque MICHAELEM noſtrum veneficii damnauit. Illius ſupra iam a nobis transſcripta verba °) hic repetere ſuperuacaneum eſſet; huius verſus, quibus Magicas SCOTI incantationes exprimere ſtuduit, ita fluunt:

Ecce Michaelis de Incantu regula Scoti,
Qua poſt ſex formas caerae fabricatur imago
Daemonii Sathan, Saturni facta piombo.
Cui ſuffimigio per Sirica rubra cremato,
Hac (licet obſiſtant) coguntur amare puellae.
Ecce idem Scotus, qui ſtando ſub arboris vmbra,
Ante characteribus deſignat millibus orbem,
Quatuor inde vocat magna cum voce diablos.

Vnus

ratam memoriae prodidit CHRISTOPH. LEHMANNVS in *Chron. Spir.* L. V. c. 90. p. m. 602.

o) §. II. Quae GRANGIERVS in *Comment. ſur l' Enfer de Dante*, p. 254. ſic vertit:

C'eſt autre, qui aux flancs faict monſtre ſi petite,
Fut Michel l' Eſcoſſois, le quel abondamment
Des charmes de Magie ha l' art au coeur eſcripte.

Vnus ab Occaſu properat, venit alter ab Ortu,
Meridies terzum mandat, Septentrio quartum.
Conſecrare facit freno conforme per ipſos,
Cum quo vult, tamquam turcheſca ſagitta cauallat,
Sacrificatque comas eiusdem ſaepe caualli.
En quoque depingit Magus idem in littore nauem,
Quae vogat totum, octo remis ducta, per orbem,
Humanae ſpinae ſuſſimigat inde medullam.
En docet, etc.

Hi et ſequentes verſus, ſatis, vt opinor, obſcuri exſtant in *Opere Macaronicorum*, *macaron. Phantaſiae* XVIII. p. 358. edit. A. 1581. 12. a M. ACQVARIO LODOLA curatae.

§. V.

Audiuimus teſtes nefarii ſceleris, de quo accuſatus eſt MICHAEL SCOTVS, complures. Verum, quod adhuc percommode cadit, omnes eamdem rem ita referunt, vt aut ipſi noſtrum defendant aut imperitorum hominum rumuſculos excepiſſe videantur. Quorum illi, LELANDVS, BALAEVS, PITSEVS, et NAVDAEVS, viri clariſſimi, verum atque vti res eſt, mea quidem ſententia dicunt, adſerentes, SCOTVM noſtrum apud vulgus tantum, cui monachos, omnibus aliis ad cutem ſuam, molliter curandam, artibus potius, quam litterarum ſtudiis excultos, merito accenſemus, hanc ſolam ob cauſam pro Mago habitum eſſe, quod praeclara eruditione atque doctrina, contra ac barbaris iſtis temporibus mos erat, aut per egregiam virorum clericorum ſententiam licebat,[p] praeditus fuit. Digna cumpri-

p) Legi ad haec prae caeteris meretur IACOBVS BVRCKHARDVS de *Linguae Lat. in Germania fatis*, cap. 3. variis locis. Hinc multi quoque alii ac longe doctiſſimi viri eamdem temporum iniquitatem ſaepius

cumprimis sunt, quae hic a nobis recitentur, verba IO. PITSEI: „in praedictionibus futurorum, *inquientis*, ex inspectione mo„tuum, cursuum, coniunctionum siderum, planetarum, et alio„rum caelestium corporum; item in exercitio, et praxi mira„bili Magiae *naturalis (quod probe notari velim)* tam occul„tos penetrauit rerum abstrusarum recessus, tam reconditos „praesciuit, et praedixit effectus, vt apud vulgus pro Necro„mantico haberetur. Prudentum tamen, et cordatorum ho„minum longe aliud fuit iudicium, qui potius perspicax eius „in scrutandis rebus abditis admirabantur ingenium, laudabant „industriam, quam reprehendendam iudicabant curiositatem, „suspiciebantque hominis scientiam, non suspicabantur culpam.

§. VI.

Hinc quod ad VELLVTELLVM, LANDINVM, BOCATIVM, aliosque attinet, qui vsque adeo de MICHAELE SCOTO male existimarunt, vt sceleratissimum Magum suspicati sint; illi aut vulgari popularique fama in hanc opinionem adducti, quod nobis quidem videtur, leuiter errarunt, aut atrocissimi criminis, ei, quem non satius pernouerant, et qui vitam procul dubio innocentissime egit, intentati probationem addere tenebantur. Nam ea, quae LANDINVS atque VELLVTELLVS veneficiis et cantionibus SCOTI facta esse tradiderunt, aniles ineptias profecto redolent, ut, nisi illum res, paullo hactenus occultiores, aperuisse, vel per iocum interdum oculos amicorum fefelliſſe, alia pro aliis subdititia ostentando, forte auguremur, nullam plane fidem mereantur. Neque vero vel DANTES, vel MERLINVS COCAIVS nostri existimationem violabunt, contra quos erudi-

experti sunt. De quo argumento ex instituto tractauit GABRIEL NAVDAEVS in *Apologia* sua, iamiam citata, ad quam te, lector beneuole, liceat ablegare.

eruditissimus vir G. NAVDAEVS eam sic defendit: [q] „pour ce „qui est de l' authorité formelle de Dante et Merlin Coccaie, „elle ne peut rien conclure à nostre preiudice, puisque ces „deux Poetes ont tiré une telle narration de la bouche du vul„gaire, pour en embellir et rehausser leurs Poemes, et que Ci„ceron se moque à bon droict de ceux, qui veulent prendre „ce que disent les Poetes, pour des asseurez tesmoignages, „parce qu' il y a bien de la difference entre les conditions d' „un Poeme, et celles d' une Histoire, *quippe quum in illa ad veritatem referantur omnia, in hoc ad delectationem pleraque.*[r] [s]

§. VIII.

At quo grauiori iniuria veneficii MICHAEL damnatus est, eo certius de singulari ipsius ac plane admirabili eruditione constat. Non enim solum Imperator, FRIDERICVS SECVNDVS, summus ille litterarum, earumdemque cultorum vindex, cuius diuinae indolis hoc veluti proprium erat, magnam virtutem extrahere in lucem, atque ingenii dotes, in quibuscunque etiam positas, sine commendatione natalium aestimare, nostro perquam familiariter vsus est, quod doctrinam eius haud sane leuem indicare videtur; sed eamdem quoque alii, qui ipsi in laude vixerunt, doctissimi viri, V. C. IO. PICVS de MIRANDVLA, SYMPHORIANVS CHAMPIERVS, et HENRICVS CORNELIVS AGRIPPA, summis laudibus ornare non dubitarunt. [t] Inprimis vero egregia, quam in ipsa illa barbarie habuit

q) l. c. p. 498. edit. cit. Certe in sequenti aliqua, quum A. 1679. Hagae Com. forma 12. liber prodiit, quinque integra capita, decimum quartum ad vigesimum vsque excipientia, quo iure quaque iniuria plane omissa sunt, nec adeo illa MICHAELIS SCOTI defensio comparet.

r) CICERO Lib. I. de *Legibus*, cap. I.

s) Haec vberius suo loco exponemus.

t) Conf. triumuiros illos Anglicos, LELANDVM, BALAEVM, et PITSEVM

fuit, rerum naturalium et Mathematicarum scientia scriptis cum veterum, tum recentiorum celebrata est. Quid? quod ipsius Magiae, naturalis puta, et quae daemoniacae opponi solet, [u] multorum iudicio peritus fuit, occultissimasque rerum proprietates, coniungenda coniungendo, et separanda separando, aliisque modis dirigere ita ac determinare potuit, vt admirandi prorsus atque stupendi effectus inde sequerentur. Quo loco non praetermittendum esse puto id, quod de diuinatione eius naturali documentum NAVDAEVS memoriae prodidit, qui pag. 497. l. c. scripsit: „il predit à l' Empereur Frederic II. „qu' il deuoit mourir en vn chasteau de la Poüille nommé „Fiorenzola; [x] ayant aussi preueu pour son regard, qu' il „finiroit

sevm ll. cc. nec non RICOBALDVM FERRARIENSEM dicto iam supra §. III. loco.

u) De qua vide sis MORHOF. *Polyhist.* T. II. L. II. c. 9. p. 312. et Lib. III. c. 1. p. 452. seqq.

x) Quae eius diuinatio ex euentu probata est. Nam *mortuus est Fridericus apud Florentinum in Capitanata Apuliae*, testante NICOLAO de IAMSILLA, auctore *Chronici de rebus gestis Friderici II. et filiorum eius*, T. VIII. *Scriptorum Rer. Italic.* a clarissimo et spectatissimo in republica litterata viro, L. A. MVRATORIO inserti, pag. 495. Illud autem Florentinum, vel castrum Florentini, prope Luceriam, seu Nuceriam Saracenorum, de quo apud veteres scriptores legimus, nullum aliud esse, quam quod Firenzola, Fiorentino etc. hodie dicitur, probauit VINCENTIVS MARIA, CARDINALIS VRSINVS, Archiepiscopus Beneuentanus in *Synodico Beneuentano in notis ad concilium prouinciale tertium*, n. 1, p. 23. Ex qua nominis *Florentini* ambiguitate Imperator errasse creditur, vt Florentiae, aut in agro saltim Florentino se moriturum, hunc-que adeo cauendum esse arbitraretur. Diserte PANDVLPHVS COLLENVTIVS *in Historia Neapol.* ex Italico in Latinum sermonem a IO. NIC. STVPANO conuersa, Lib. IV. p. 153. edit. Basil. 1572. de eo scribit: *haud sibi moriendum alibi putabat, quam Florentiae, aut in illius territorio, qua de caussa etiam proxime ex Thuscia in Apuliam rediens, per Florentinorum ditionem transire noluerat, quod praemonitus fuisset a quodam, qui colloquium et conuersationem cum spiritu quodam habere putabatur, sibi in Florentino esse obeundum. Sed vbi forte in Apuliae quadam arce sex circiter passuum millibus a Luceria distante, quae etiam Florentinum*

„nirois ſes jours dans une Egliſe, ce qui arriua, au recit de „Granger en ſon Commentaire ſur Dante, lors que comme il „y eſtoit un jour la teſte deſcouverte pour adorer le Corps et „Sang de Jeſus Chriſt, la cordelle de la cloche, que l'on ſon„noit, fit tomber une pierre ſur la teſte, qui le coucha mort „au meſme lieu, ou il fut enterré.[y]

§. VIII.

Sed teſtes doctrinae SCOTI noſtri, prorſus inſignis omnium certiſſimi ſunt libri, quibus aeternam laudem meruit, et quos maximam partem iuſſu FRIDERICI SECVNDI, cui propter ea plurimos etiam dedicauit,[z] conſcripſiſſe perhibetur. Licet enim ex iis operibus, quae in re Philoſophica compoſuit, non omnia, et quae de Theologicis myſteriis exarauit, nulla prorſus inueniamus: talia tamen ad nos venerunt, quae et qualia ſingularem hominis eruditionem omnibus abunde teſtatam faciunt. De illis ſingulis BALAEVS, atque PITSEVS ll. cc. nec non CONRADVS GESNERVS in *Bibliotheca* ſub ipſius MICHAELIS nomine diligenter expoſuerunt. Mihi vero in praeſentia ſufficiat, ea, quae typis exſcripta ſunt, paucis commemorare. Prodiit igitur *eximii, atque excellentiſſimi Phyſicorum motuum, curſusque Syderei indagatoris Michaelis Scoti* Commentarius *ſuper auctorem Sphaerae* (IOANNEM de SACROBOSCO) *cum quaeſtionibus diligenter emendatis*, Venetiis, *impenſa haeredum Octauiani Scoti*, A. 1518. fol.

rentinum dicebatur, vehementer febricitare coepiſſet, praeſagium illud in memoriam reuocauit, et pro eo, quo erat ingenii acumine, ſtatim animaduertit, hunc eſſe vitae ſuae terminum. Conf. SALLA ſiue SABA MALASPINA *Rerum Sicul.* L. I. cap 2. nec non RICORDANVS MALESPINI in *Hiſtoria antica Fiorentina*, cap. 143. vterque apud eundem MVRATORIVM, Tomo eodem.

y) Conf. LANDINVS et VELLVTELLVS ll. cc.

z) NAVDAEVS, loco, quem ſaepe adpellauimus, p. 497.

Neque tamen ſolus, ſed ſimul cum aliis vno volumine euulgatus eſt, quod inſcribitur: Sphaera cum Commentariis in hoc volumine contentis, videlicet Cicchi Eſculani cum textu. Expoſitio IO. BAPTISTAE CAPVANI in eandem. IACOBI FABRI STAPVLENSIS, THEODOSII, MICHAELIS SCOTI etc. *Incipit* autem *expoſitio perfecta, Illuſtriſſimi Imperatoris Domini D. Federici precibus*, pagina dictae collectionis 104. et finitur pag. 115. [a] Aliud, quod nobis reliquit ingenii monimentum, quippe *libellus de ſecretis naturae*, plerumque in libro, *de ſecretis mulierum*, edito, atque ALBERTO MAGNO a multis falſo adſcripto, ſub finem reperitur. Sed ob ſingularem ſuam praeſtantiam, ex Latino in Italicum ſermonem conuerſus, multoties ac ſeparatim quidem hoc fere titulo prodiit: *Fiſonomia, la quale compiloe Maeſtro Michele Scotto a' preghi di Federigo Romano Imperatore, Huomo di grande ſcienzia: et è coſa molto notabile, e da tener ſegreta, però che l' è di grande efficacia, e comprende coſe ſecrete della Natura, che baſtano a ogni Aſtrologo. Et è diviſo in tre parti.* in 8. Denique ex illis, quae typis excuſa eſſe nouerim, operibus notari meretur *quaeſtio curioſa de natura Solis, et Lunae.* Haec Venetiis in lucem edita eſt, A. 1546. forma octaua, et exſtat vna cum *Fiſonomia* in *Bibliotheca* FRANCISCI BARBERINI, S.R.E. Cardinalis, prout videre licet in illius *Catalogo*, T. II. pag. 358. Conferri ad haec, quae de editionibus librorum M. SCOTI diximus, non ſine inſigni vtilitate poterunt ANT. MAGLIABECHII, et L. NICODEMI *Addizioni copioſe alla Bibliotheca Napoletana del Nic. Toppi* pag. 176. ſeq. vbi etiam de XIX. *libris Ariſtotelis, de hiſtoria animalium, ex Arabica lingua*

a) Quo nomine mirari conuenit, GERHARDVM IO. VOSSIVM Lib. III. *de natura Artium*, in quo de claris Mathematicis tractat, neque ipſius MICHAELIS noſtri, neque eius in *Sphaeram* Commentarii, aut aliorum id genus ſcriptorum vllam feciſſe mentionem.

lingua in Latinam a SCOTO *translatis*, quorum BALAEVS et PITSEVS plane obliti ſunt, nonnulla ediſſeruntur.

§. IX.

Haud igitur mirum cuiquam debet videri, virum, excellenti in omni propemodum doctrinarum genere eruditione praeditum, qualem MICHAELEM SCOTVM fuiſſe, ex hactenus dictis nullo negotio adparet, veneficii ab imperita multitudine accuſatum eſſe; iſtis praeſertim temporibus, quibus tantam multorum hominum ignorantiam fuiſſe legimus, vt mera ipſis miracula patrare viderentur, qui linguae Latinae, nedum Graecae vel mediocriter eruditi eſſent.[b] Neque vero me defenſioni meae pluſculum fortaſſe, quam concedat veritas, largitum eſſe, aut MICHAELEM nimis valde laudaſſe ſuſpicabuntur illi, qui MORHOFIO crediderint iudicanti:[c] *fuiſſe tum temporis*, horrida licet per totam fere Europam barbarie regnante, *apud multos arcaniorem rerum naturalium ſcientiam, quam nunc in aprico ſepoſitam habere putent lyncei noſtri.* Caeterum licet tempus, quo SCOTVS hic mortuus eſt, certum plane ignoremus; ex eo tamen, quod circa annum MCCXC. claruiſſe a BALAEO atque RITSEO traditur, nobis fit veriſimile, illum ad ſummam ſenectutem vixiſſe.

* * *

Sed haec quidem hactenus. Ego vero TIBI, VIR CONSVLTISSIME ATQVE AMPLISSIME, *eam, qua hodie ornatus es, dignitatem, nec* TIBI *ſolum*

b) Vid. IACOBVS BVRCKHARDVS l. c. Cui, ſi placet, addas MORHOFIVM d. l. T. I. Lib. I. cap. 8. §. 25. p. 74. T. II. Lib. II. c. 12. §. 6. p. 220. alibique.

c) l. c. T. II. L. I. cap. 14. §. 2. p. 85.

ſolum, ſed LIPSIAE *impenſius gratulor.* TV *enim illam nunc* IPSE *ornaturus, delata diuinitus, quae deſiderari hactenus videbatur, ampliſſima occaſione,* TE, *qualis ſis, certe oſtendes, atque antiquum* GENTIS TVAE ILLVSTRIS *decus, cum* PATERNA *praeſenti virtute, quantum in* TE *erit, (at quantum non eſt!) referes. Itaque Deum immortalem ardentiſſima animi religione precor, vt, quos hoc ipſo die capeſſis, quosque adeptus nuperrime es, ſummos in vtroque iure honores* TIBI *fortunatos eſſe iubeat,* TEQVE, *omni omnis proſperitatis genere cumulatum, in* SPLENDIDISSIMAE FAMILIAE *ornamentum praecipuum, in patriae et reipublicae emolumentum quam diutiſſime conſeruet. Quod reliquum eſt,* TE, VIR DOCTISSIME, *vt ea, quae ad piae mentis teſtificationem* TIBI *ſcripſimus, aequi bonique conſulere,* TVAQVE *beneuolentia, ſi meruero, me etiam in poſterum dignari velis, oro atque rogo. Vale. Dabam Lipſiae, a. d.* XXXI. *Aug.* A. O. R. M DCC XXXIX.